

et Onenhaim [*Script. Hist. Franc.*, Onenhaim], quantumcunque ipsi ad parti [*Lag. partes*] fisco nostro retebant [*Lag.*, reddebant] tam freda quam reliquas funciones, Valedio abbate ad monasteriolo Consentis hoc plena et integra voluntate visi fuimus concessisse. Quapropter jubemus ut neque vos neque juniores sui successoresque vestris idem ex hoc contrarie non existetis, nisi, sicut diximus, quantumcunque memorati homines qui in ipsas de quas villas [*Lag. admārinem legendum suspicatur*, dictas villas] commanere videntur, totum et ad integrum ipsius Valedio abbate omnes funciones reddere debeant. Et ut hec preceptio plenior obtineat vicorem, manus nostras subsubscriptionibus [*Script. Hist. Franc.*, manus nostræ subsubscriptionibus] subter decrevimus roborare. Childericus rex recognovit. Datum (*deest hæc vox apud Lag. et Script. Hist. Franc.*) sub die quarto quod fecit mensis Marcius, anno 13 regni nostri *.

XI.

Childerici diploma de libertate et immunitate ecclesie Spirensis ^b (Circa ann. 663).

Childericus, rex Francorum, viris illustribus, ducibus seu et comitibus. In hoc regni nostri terrena spatia sub tranquillitate manere censemus, et ad eternam misericordiam nobis pertinere confidemus,

* Mensis Martius anni 13 regni Childerici II apud Austrasios anno Christi 673 tribui commode potest.

^b Hoc diploma, prioribus editoribus incognitum, eisdem curavi ex t. VII, pag. 181, Commentariorum Academiæ Theodoro Palatinæ. Jam diu illud publici juris fererat, anno 1778, Lamey in *Geschichte des Rheinischen Franzien*, pag. 401, ex arce ivo archiepiscopus Spirensis. Consulendum est opus jam laudatum Caroli Dumgé. In apographo non exstant dies et annus; ex mera conjectura viri

A si opportunitatibus ecclesiarum aut sacerdotum perducemus ad effectum. Atque ideo agnoscat magnitudo seu utilitas vestra, quoniam nos, ad suggestionem apostolicis viris, patribus nostris Chlodolfo, Chrothario archiepiscopis, vel viris illustribus Amelico, Bonefacio, ducibus seu [comitibus], et per consilium Emnehilde regine, convenit ut nos ad ecclesiam domne Marie vel domni Stephanii Nimetensis ecclesie, ubi apostolicus pater noster Dragobodus episcopus esse dinoscitur, vellemus concessisse ut nullus iudex publicus ex fisco nostro in curia ecclesie sue, ubicunque habere dinoscitur, freda nec sthophia, nec herebanno recipere nec requirere non praesumat, sicut diximus ipsi homines, ecclesie sub omni emunitate debeant consistere vel residere;

B quapropter presentem jussimus emanare preceptionem, per quam specialius decernimus ac jubemus ut nullus iudex publicus de curia prefate ecclesie Nimetensis freda, nec sthophia, nec herebanno requirere nec exigere non presumat, sed quantumcunque ad partem fisci nostri reddere debeant, ipse pontifex sueque ecclesie ex nostra munificentia valeat habere concessum atque indultum. Et, ut hec preceptio plenior obtineatur vigore, manus nostre signaculis subter eam decrevimus roborare.

docti illud assignant anno 665.

* Verosimile est hunc Bonifacium eundem esse qui nominatur in diplomate Childerici II anni 661, quod reperies supra, col. 1289.

^d Commentaria habeat scophia; perperam, ut monet Car. Dumgé, inspecto apographo. Legendum est sthophia, qua voce intelligendum censeo quodlibet tributum. Cangius, ex veteri glossa, voce sthopharius designat eum qui censum regi solvit.

AD S. DAGOBERTI II DIPLOMATA PROLEGOMENA.

1. — *Diplomata sincera.*

Duo supersunt diplomata legitima a Dagoberto I. emissa.

1. Primum est pro monasterio Weissemburgensi, cui rex donat thermas trans Rhenum, in pago Ausetacensi. Nulli suspectum, sæpius editum, accuratius a Schœplino, in historia Zaringo-Badensi, t. V, pag. 1, ex chartulario ecclesie collegiatæ Weissemburgensi, et iterum in Alsatia diplomatica, t. I, pag. 4, ex membrana veteri, sed quam agnoscit ab exscriptore emendatam, ita ut stylus Carolingicam ætatem redolere videatur; nec ideo inter spuria instrumenta diploma hoc relegandum censeo. Thermæ de quibus hic agitur thermæ sunt Helveticæ, vernaen'e Baden, quod idem sonat ac Latine balnea. Quod ibi legitur, has thermas ab imperatoribus Antonino et Adriano edificatas, interpolatum videtur. Authenticiam periisse monuit abbas Grandidier, in historia Alsatiæ, t. I, prob. pag. 14, not. Cum primum editum est hoc diploma, Dagoberto I vulgo fuit assignatum; repugnans nomen, quod ibi legitur, Radfredi, abbatibus Weissemburgensis, qui non nisi diu post Dagoberti I obitum, ut probat Coccius in Dagob., pag. 176, monasterio Weissemburgensi præfuit.

2. Altero diplomate, n. IV, a Martenio. Amplius collect. t. II, col. 15, et idem sincero, sed majoris momenti, Dagobertus II concessam monasteriis Sabulensi et Malmundariensi villam Germiniacum confirmat. Illud dicimus a Dagoberto emissum; Sigeberti enim se filium proficitur. Hinc, postquam iam lucem prolatum est, jam in dubio esse destitit revocatio filii Sigeberti ex Hibernia seu Scotia, et in regnum restitutum, quæ quidem ex aliis testimoniis, ut videre est apud Valesium, Henschen., Longuer. Annal. Franc. in t. III, Collect. script. rer. Fr. pag. 692 et seq. erui cœperat, præsertim ex Dagoberti diplomate pro monasterio Weissemburgensi, quod supra, num. 1, recensuimus, sed illud quidam Dagoberto I tribuendum censebant. Omni autem exceptione majus argumentum de hac restitutione præbet diploma de quo agimus, quod nomen præfert *Dagoberti filii Sigeberti, regis Francorum*. Datum fuit anno 4 regni ejus, ut testantur membranæ quas viderat Hensehenius.

§ II. — *Diplomata spuria.*

Spuria duo sub nomine Dagoberti edita sunt diplomata.

1. Primum, n. II, magnæ inter eruditos conten-

tionis causa fuit. Emissum fingitur, de fundatione A et dotatione monasterii Horreensis, ab Irmina, Dagoberti II filia. Illud Masenius, *Annal. Trevir.*, t. I, pag. 350, se exscripsisse ait ex autographo, et editit vallatum sigillo, quod æri incidit curavit. Pluries inde recusum juxta Masenii lectiones edimus. Diplomaticæ illius de hoc instrumento summa hæc est. Henschenius, *De trib. Dagob.* pag. 108, et Masenius, ubi supra, auctoritatem diplomatis tueri conati sunt, quam evertit Adrianus Valesius, *Rer. Franc.* t. III, pag. 234. Pro diplomate Papebrochius in auxilium Henschenii primum militavit, sed deinde, sententia in contrariam versa, magno apparatu, commentitii instrumenti vitia in Propyl. antiq. t. II, Act. SS. mensis Aprilis, part. 1, cap. 1, prosecutus est, quæ, adhibitis emendationibus tollere nititur Cointus, *Annal.* t. III, pag. 793. Fatetur vero Mabillonius, *Annal.* t. I, pag. 535, dubiæ admodum fidei esse instrumentum, quod toti falsi iudicii scætat. Demum Eckartus, *Franc. orient. lib.* xv, 94, illud cum historiis conciliare totis viribus laborat, sed in eo frustra est. Videtur cæcutiisse, cum ait in hoc diplomate apparere Irminam dotasse monasterium Horreense, non vero condidisse; expressis enim verbis ait Dagobertus illud fuisse ab Irmina filia sua constructum, et sanctimonialium coadunatione decoratum. Jam autem anno 659 hujus monasterii abbatissam novimus nomine *Modestam*, teste *Nova Gall. Christ.*, t. XIII, col. 612, nec ante annum 662 nasci potuit Irmina, fatente ipso Eckarto. Præterea Horreense monasterium, sic dictum a loco ubi conditum fuit in urbe Treverica, ab horreis ibi olim constitutis, uti dicit Mabill. *de Re diplom.* pag. 331, conditum fuisse fertur a Modoaldo Trevirensi præsule, secundum *Gesta episc. Trevir.* t. IV, et Act. SS. Bened. pag. 554; sed is, teste *Nova Gall. Christ.*, t. XIII, col.

385, anno 640 obierat, quod omnino diplomati fidem abrogat.

2. Non melioris notæ est diploma n. III, sub Dagoberti II nomine, quo tres curtes Argentinensi Ecclesiæ conceduntur. Pluries editum fuerat, sed deurtatum; donec sæpe laudatus abbas Grandidier illud integrum vulgavit, in *Hist. Argent. Eccl.* t. I, prob. pag. 26, depromptum ex chartulario quod medio seculo xv exaratum dicitur. Inter alia falsi indicia quæ in notis nostris releguntur, hoc præcipuum notabimus: ibi se illius orbatum proficitur Dagobertus, qui tamen hoc ideo donum Ecclesiæ Argentinensi contulit, scilicet pro gratiarum actione erga Arbogastum, Argentinensem episcopum, qui filium ejus, inter venandum calcibus equi protritum, ad vitam revocaverat. Sic docet ipsius Arbogasti Vita ab Uthone, Argentinensi episcopo, sæculo x scripta, quam videre est in opere supra laudato prob. pag. 50; ergo, tunc illius non erat orbatum Dagobertus. Verum, cum de hac donatione constat B Uthonis testimonio, hinc feliciter conjicit abbas Grandidier existitisse hujus concessionis instrumentum, quod sæculo x viderat auctor Vitæ Arbogasti, sed, hoc deperdito diplomate, fictitium aliud constructum fuisse quod habemus. Ex formulis arguit mox laudatus abbas, fabricatum fuisse sæculo xi, cuius eruditam de hoc diplomate dissertationem videsis in historia Ecclesiæ Argentinensis, pag. 82 et seq. Quod ecclesia Argentinensis in hoc instrumento nomine monasterii appellata sit, id vitio veri non debet; cathedrales enim ecclesiæ, imo ecclesiæ omnes, monasterii nomine non semel vocatæ sunt, præcipue sæculo xi, teste Cangii *Gloss.*, t. IV, pag. 896, et id confirmat hoc tempore confectum fuisse instrumentum quod expendimus.

S. DAGOBERTI II

FRANCORUM REGIS

ECCLESIASTICÆ PRÆCEPTIONES.

I.

Diploma quo Dagobertus Ithermas trans Rhenum, in pago Auriacensi, cum pertinentiis donat monasterio Weissenburgensi * (ann. 675).

Dagobertus, rex Francorum, viris illustribus ducibus, comitibus, domesticis, vel omnibus agentibus [*M. B.*, gentibus], tam presentibus quam futuris. Illud ad stabilitatem regni, vel remedium animæ nostræ perdurare credimus, si petitiones [*M. B.*, petitionibus] sacerdotum, quas [*M. B.*, in quo] auribus nostris patefecerint, ad effectum perducimus. Ideo

* Quod hic subjicimus instrumentum pro Weissenburgensi monasterio a Dagoberto II emissum fuit, temporibus abbatis Radfredi, qui non ante annum 667 monasterium Weissenburgense rexit, vid. *Nov. Gall. Chr.* t. V, col. 715 et 742, jam ab annis viginti et amplius defuncto Dagoberto I. Hoc diploma typis mandaverunt Coccius, in *Dagob.* pag. 175; Heda, de *episcop. Ultr. ject.* pag. 18; Henschenius, de *tribus Dagob.* pag. 84; Vorburg, *Hist. rer. Geru.* t. VIII, pag. 242; Schannat, *Vindem. litter. collect.* t. pag. 5; Cointus, *Annal.* t. III, pag. 747; Laguille, *Hist. Alsat.* t. II, prob. pag. 2; Schœpflinus, *Alsat. dipl.* t. I, pag. 4, et *hist. Zaringo Baj.*

C cognoscat magnitudo seu nobilitas [*M. B.*, utilitas, vestra, quia nos, ad suggestionem viri venerabilis Ratfridi abbatis, de monasterio Weissenburgo, balneas illas [*M. B.*, balnea illa] trans Rhenom, in pago Auriacensi [*M. B.*, Auriacense] sitas [*M. B.*, sita], quas [*M. B.*, quæ] Antoninus [*M. B.*, Anthonius] et Adrianus quondam imperatores suo opere ædificaverunt, ad monasterium quod dicitur Weissenburg, et est constructum in honorem [*M. B.*, honore] S. Petri, in pago Spirensi, visi fuimus concessisse cum omnibus, et cum ipsa marchia ad ipsas

t. IV, pag. 1; Collectores scriptorum rerum Francicarum, *tom. IV*, pag. 654. Nulli quem sciamus suspectum falsi, imo genuinum agnoscut Mabillonius, *Annal. Bened.* t. I, pag. 529; Grandidier, *Hist. eccl. Argent.* t. I, pag. 85, et prob. pag. 34; et ipse Schœpflinus. Illic autem, dum illud accuratius edit ex apographo membranaceo veteri, fatetur apographi stylium Carovingicam ætatem redolere, et conjicit Merovingici styli barbariem ab exscriptore temere emendatam fuisse. Illic sequitur diploma hoc, quæ habemus, non omnino quidem sincerum dici posse, nec tamen commentitii instrumentum annumerandum.